



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

152. Quisingressus in Religionem extitit quatur menses in novitiatu ut laicus, postea transivit in statum Clericalem, & perficit annum novitiatus, quæritur, an eius professio fuerit valida; Et quid è ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

haber fatto l'anno d'ella probatione, e la medesima professione in luoghi designati, a reciner Nouitij; alcuni di essi Regulari, che stanno di famiglia ne Conuenti o Monasterij di questa città e Diocesi, in vece di conualidar le professioni sudette, fanno istanza auanti V. S. o del suo Vicario, affinché interponga decreto, e diano loro licenza di lasciar l'habito, e ritornare al secolo in habito clericale, sotto pretesto come si suppone ch'in detta Bolla almeno tacitamente si dia a gli Ordinarij tal facultà. E perche ciò è del tutto alieno d'alla mente d'ella Santità sua, ne tali dichiarazioni di nullità di professione si possono fare, se non seruatissimamente conformi alla disposizione dei sacri Canonj, Constitutioni e Decreti Apostolici, e particolarmente del sacro Concilio di Trento. Però l'eminenze loro mi hanno ordinato di scriuerle, che se astenga dall'interporre li decreti, e dare le licenze sudette in vigore di detta Bolla, & ordini al suo Vicario, che non le dia ad alcuno, & hauendole dati, procri che quanto primatiorino nei claustrj con l'habito loro regolare, e presterà in ciò ogni aiuto a li loro Superiori, affinché se li facino ritornare. Dio la preserui. Di Roma al primo di Iulio 1633. di V. S. come fratello il Card. S. Onofrio.

† Locus sigilli. ANTONIVS TORNIELVS. Et hanc epistolam inuenies expressam apud Peyrinum ubi supra numero 3. Vnde ex his patet optimè aliquos Iuriconsultos his diebus, dum quidam Religiosus intendebat suam annullare professionem stante decreto supradicto Clementis VIII. & Bulla Urbani VIII. dixisse non esse audiendum, nisi peteret à Summo Pontifice restitutionem quinquentium, de quo loquitur Concilium Tridentinum sessione 25. capite 19. de Regularibus, & pro firmanda eorum sententia adducebant doctrinam à me traditam in tertia parte, tractatu secundo, resolutione 62. quam omnino vides.

RESOL. CLI.

An Nouitiatus factus partim in vno Conuentu, & partim in alio eiusdem Ordinis sit validus? Et an in tali casu Nouitius indigeat ad proficiendum consensu vtriusque Monasterij? Ex p. 9. tractat. 7. & Misc. 2. Ref. 44.

§ 1. ESSE inuolidum docet Franciscus Syluius, in clytus Theologie Professor Duaci: sic enim asserit in suis var. resolut. part. 2. verb. Nouitius, 2. [An Religiosus Sancti Bernardi, qui annum Nouitiatus incipit in vno Monasterio, possit illum annum continuare, & complere in alio Monasterio eiusdem Ordinis, maxime cum de vno in aliud se transfulerit, absque interuallo temporis, præterquam vnius diei ad iter conficiendum necessarium? Respondetur, non posse: quia, iuxta Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. de Regul. annus Nouitiatus debet esse integer, & iuxta communem, ac receptam sententiam, de qua cum multis Barbosa allegat. 101. numer. 23. continuus non potest autem censeri integer, & continuus quando per egressum ad aliud Monasterium (tamest eiusdem Ordinis) fuit interruptus: quoniam annus ille debet compleri intra claustra Monasterij, nisi fortè de Superioris licentia ad aliquod tempus egrederetur Nouitius, manens interim semper sub eius obedientia; quemadmodum videri potest apud Barbosa. 26 & 28. Confirmatur: tempus probationis præscriptum est, non solum in fauorem Nouitij vt experiri possit asperitates Monasterij, sed etiam in fauorem ipsius Monasterij, vt mores Nouitij possit

experiri, c. ad Apost. de Reg. ad talem verò vtriusque experientiam, oportet, Nouitium in eodem Monasterio, vel saltem sub eiusdem Monasterij obedientia, viuere toto tempore Nouitiatus, ac per consequens non potest partem istius temporis degere sub vnius Monasterij obedientia, & partem sub alterius. Ita Syluius, qui pro sua sententia adducit aliqua loca Nauarri.

2. Sed proflus affirmatiue sententiæ adhaerendum esse puto cum Bordono 10 2. resolut. 54. n. 5. Pellizzario in Manual. Reg. 10. 1. tr. 3. c. 3. n. 21. & aliis communiter: nam est factum, quod in nostro casu interruptatur annus Nouitiatus, cum solum murentur loca Nouitiatus, manente eodem Nouitiatu: tum quia Nouitiatus ordinatur ad probandum Nouitium, at æquè benè is probati potest in diuersis locis, imò fortè melius, cum in pluribus Monasterijs plura possit experiri, quàm in vno tantum: quod si Nauarri. consil. 27. de Regul. sustinet fuisse nullam Professionem eius qui professus est: præmissis Nouitiatu per decem menses in vno loco, & per reliquos in alio; loquitur de transiente sine Superiorum licentia, idèoque oppositum assereret in casu nostro. Non est igitur recedendum à nostra sententia, ex qua patet responsio ad argumentum Syluij & ad Nauarri auctoritatem, quam in sui fauorem adducit.

3. An autem in tali casu Nouitius indigeat ad proficiendum consensu vtriusque Monasterij: vide citatos Auctores, asserentes non requiri, si saltem æqualiter mansit in vtroque loco: secus autem si in posteriori manserit tantum per tres, aut quatuor menses: tunc enim requiritur consensus etiam prioris Monasterij, cum in posteriori non ita sufficienter videatur probatus. Et ita ego etiam sentio.

RESOL. CLII.

Quis ingressus in Religionem existit quatuor menses in Nouitiatu vt laicus, postea transiit in statum Clericalem, & perfecit annum Nouitiatus: quæritur, an eius professio fuerit vilida? Et quid è contra? Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 12.

§ 1. VIDETUR respondendum negativè ex defectu anni Nouitiatus continui: nam status laicalis differt è statu clericali; ergo Nouitiatus factus in vno, non potest deferuere pro alio: vnde annus nouitiatus iterandus est, quando aliquis Conuersorum ad statum Clericalem transfertur. Et ita asserunt fuisse declaratum à Sacra congregatione anno 1618.

2. Probatur etiam ex Decreto Clementis VIII. in Instruct. super recept. & educat. Nouit. §. Tempore. in quo sic habetur: Sed qui ad Conuersorum Habitum recepti fuerint, ad clericalem statum transire etiam durante tempore probationis, non possunt. Et verbum, non posse, formam inducere, & importare, tradit Sanchez de matrim. lib. 6. disput. 36. num. 20. asserens, quod verbum. Potest, præposita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum. Quod etiam docet Rebellius de oblig. instit. part. 1. lib. 1. quest. 6. num. 42. & Gomez in cap. vt animarum, §. statuti, num. 24. de constit. in 6 & alij.

3. Sed de hoc casu interrogatus, ego affirmatiue sententiæ adhasi: quia Concilium non requirit aliud ad validitatem Professionis, nisi annum Nouitiatus continuum sub cura Prælatorum, sed dictus Nouitius per annum continuum existit in Nouitia u sub obedientia Prælati, & austeritates Religionis expertus est, non solum in statu Clericali, sed etiam Laicali: ergo. Et ita hanc sententiam

Sup hoc lege not doctrinã R. 178. figurat, § Sed.

Sup hoc ver. Non posse in fin. huius R. & latissime in to. 6. tr. 1. R. 30 & in to. 2. tr. 5. ex lata doctrina R. 180 §. Sed hic ad med. & § Verum. in fin. & ibi in tr. 4. in R. 70 lege eius latam doctrinam, & hic infra vide R. 159.

tiam in terminis docet Tamburinus *de iure Abbatum*, tom. 3. disp. 6. quest. 17. n. 8. vbi sic ait: [ Si quæras, an Nouitatus sit interruptus, quando aliquis Oblatus, vel Conuersus ad statum Clericorum transfertur, & consequenter sit iterandus? Respondeo, quod non est iterandus: quia sufficit, vt per vnum annum maneat sub obedientia Prælati, & tunc probationis annum legitime impleuit, maxime cum Nouitius non teneatur omnes asperitates Regulæ experiri in specie, sed satis est, si probet in genere perseverando sub dicta obedientia Prælati per annum. Ita ille: & post illum amicissimus, & doctus Pater Lezana in *Summa* 99. Regul. tom. 4. verb. *Professio Regularis*, num. 10. sic asserens: Pro casu tamen, qui sæpius inter Regulares contingere solet, scilicet, quod cum aliquis Nouitius Nouitatum in totum, vel partem in iuxta morem Conuersorum peregerit, postea verò in Professione ad Clericatum admittatur, vel aliquando etiam è contra; notandum est valde probabile esse, talem Professionem esse validam, & illum Nouitatum sufficientem fuisse pro tali Professione faciendi. Quia ad Probationis annum legitime implendum, satis est, quod Nouitius vno integro anno sub obedientia Prælati existat. Ita Lezana in editione Veneta in folio impressa: nam in aliis hæc non inveniuntur. Hanc etiam sententiam tenet Sanctorius in *Constit. Fratrum Minorum*, c. 2. stat. 24. & illam supponit Portel in *dubis Regul.* tom. 1. part. 2. cas. 8. loquens de Nouitio, qui annum Nouitatus in statu laicali peregit, & postea inuitus emisit Professionem in statu clericali. Et post hæc scripta inveni nostram sententiam firmari etiam à Bordonio in *const. regul. tom. 2. Resol. 44. num. 230.*

Sup hoc è  
contra in fine  
§. seq. &  
in alia Ref.  
eius annot.

4. Restat modò respondere ad argumenta in contrarium adducta, & ad declarationem Sacræ Congregationis adductam respondet Peirinus tom. 2. *de Prælatu*, g. 3. cap. 1. §. 5. num. 148. vel non esse veram, vel non esse vsu receptam: & idem docet, quod quando aliquis Clericus transfertur ad statum laicalem, non eget nouo Nouitatu. Et ita etiam docet Pellizzarius in *Man. Regular.* tom. 1. tract. 2. c. 1. n. 30.

Supr. hoc,  
quod hic do  
cet supra  
cursum inter  
medium &  
finem, §. præ  
teriti, & ma  
gis latè in  
fra in Ref.  
178.

5. Ad secundum argumentum, scilicet, ad Decretum Clem. VIII. adductum, respondet Sanctorius *vbi supra*, & Bordonus *tom. 1. resol. 29. n. 95.* quod in dictis verbis Decreti nihil agitur de valore Professionis; sed tantum dicitur, non posse Conuersum in anno probationis, neque post Professionem, transire ad statum clericalem. Vnde nota, quod aliud est transire, quod respicit agere propria autoritate; aliud transferri, quod indicat actum alterius potentis transferre: itaque per illud statutum non auferitur potestas Superiori; sed subito negatur transitus propria voluntate ad altiorum statum, ad quem nemo debet accedere, nisi prius vocetur. Itaque in his verbis Pontifex factum prohibet, non irritat. Et ita etiam, præter Sanctorium, & Bordonum, docet nouissimè Pellizzarius *vbi supra tract. 3. cap. 3. n. 31.* Nec doctrina Sanchez de verbo, *non potest*, adducta in contrarium, est semper vera, vt nominatim contra illum probat Quintanaduenas in *Theolog. moral.* tom. 1. tract. 2. singul. 7. num. 4.

Super hoc  
Verbo nō po  
test, supra ad  
medium, §. 2.  
huius Ref. &  
in aliis eius  
annot.

## RESOL. CLIII.

An egressio Nouitij è Monasterio cum licentia tamen Superioris interrumpat annum Nouitatus?  
Et quid si licentia sit illicite data?  
Et in dicto casu, an possit extra Monasterium demorari non solum per vnum, vel duos menses, sed etiam per maiorem partem anni?  
Et an interrumpatur annum Nouitatus, si Nouitius

revento habitu perterritus seueritatis Superioris, seu Magistri è Monasterio abdit èt exeat, cum sine celandi dummodo animum habeat redeundi?

Et quid, si revento habitu indebitè, & sine licentia exeat è clausura, dummodo ad Monasterium redire intendat? Ex p. 3. tr. 2. ref. 84.

§. 1. **V**T, v. g. si ob malam valetudinem Nouitius in domo secularium se transferat, vel ad videndos parentes, vel recreationis causa, &c. Negatiuè respondendum est cum Graffio *part. 1. lib. 3. c. 1. n. 18.* Zanardo in *direct. Theol.* part. 2. c. 6. Gratiano in *descep. to. 1. c. 1. 66. n. 14.* & aliis communiter, quod etiam verum esse puto, licet illicite, & sine rationabili causa concessa fuisset à Superiore Nouitio licentia morandi extra Monasterium. Nam in tali casu licet Superior illicite præstans licentiam peccet, ex hoc tamen non sequitur quod annus Nouitatus interrumpatur, & ita docet contra Nauarrum Suarez *de Relig.* tom. 3. lib. 5. c. 14. n. 13.

2. Nota etiam contra Emanuelem Rodriguez, quem nouissimè sequitur Hieronymus Rodriguez in *compen. 99. Regul. ref. 101. n. 44.* Nouitium extra Monasterium de licentia Superioris posse demorari, causa, v. g. morbi curandi, non solum per vnum, vel duos menses, sed etiam per maiorem partem anni, & ita docet contra Rodriguez Pater Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 5. cap. 4. n. 28.* & citat Nauarrum *lib. 3. cons. 4. in prima edit. tit. de Regul. & Azorium tom. 1. lib. 12. cap. 2. quest. 8.* loquentes de Nouitio, qui decem menses, & semi-mensem extra Religionem demoratus est, & residuum tantum in illa permansit. Imò Azorius loquitur de Nouitio, qui toto probationis anno extra Conuentum apud secularem demoratus est, cum licentia tamen Superioris.

3. Nota etiam hic obiter, quod non interrumpatur annum Nouitatus, si Nouitius revento habitu perterritus seueritatis, vel iracundia Superioris, seu Magistri, è Monasterio abdit exeat causa se celandi dummodo animum habeat redeundi, & ita docet Galuanus *const. 12. num. 8.* Et idem dicendum est, si Nouitius revento habitu indebitè, & sine licentia è clausura, dummodo ad Monasterium redire intendat, & ita tenet Suarez *vbi supra de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 14. & alij.*

## RESOL. CLIV.

An Nouitius, qui ex licentia sui Superioris per aliquos dies in domo paterna moratus est, dicatur interrupisse annum sui Nouitatus, ita vt professio postea facta sit nulla? Ex p. 7. tr. 1. & Misc. 2. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Ioannes Antonius Nauarius in *summa Bullarum part. 2. tit. de Nouitiis recipiendis in Monasteriis destitatis*, num. 2. & sequentibus, vbi sic ait. Amplia primò, vt tempus anni quo Nouitius debet permanere in Monasterio designatum debeat esse continuus, nec possit frangi, aut discontinuari sub quouis pretextu, quia in illis quæ sunt de forma obseruatur rigor, vt per Ruin. in *rubr. de nou. oper. num. 19.* & rigor iure optimo ab hac constitutione est inductus, quia cum annus nouitatus detur in subsidium humane fragilitatis, & ad fauorem tam Nouitij, quam Monasterij, vt & ille expectatur Religionis asperitates, & cum illis suas vires metatur, & Monasterium possit cognoscere mores, & animum nouitij iuxta dispositionem text. in *cap. nou. solum de regul. in sexto.* consequens est non satisfacti dispositioni dictæ Constitutionis, quandiu procul à regulari disciplina, & ab oculis superioris, nouitius